

# PALAESTRA LATINA

## SUMMARIUM

---

Versus memoriales de acuedis quibusdam  
vobis.

De bibliotheca Horatii, ORTH.

De Lucretio et Virgilio et astrologia, ORTH  
Experfacto, SARMIENTO.

Commercium epistulare.

Epistola soluta

Andreana, AVENARIUS.

Sanctae Clarae Assisiensis Laus, URQUIOLA  
Nova et Vetera, MIR

Compositiones vertendae.

Bibliographia, MAULEON, ASPA, COSCOJUE-  
JUELA, GARCÍA, JIMÉNEZ.

Curiosa et jocosa, COSCOJUELA, ROSSICH,  
DEL BARRIO, UNZUETA, ARAMENDÍA, AL-  
SINA, SABIRÓN.

Ordinarii et Superiorum licentia

## Versus memoriales de acuendis quibusdam vocibus

Saepe vos, pueri, in acuendis quibusdam vocibus dubitare intellexi, in quibus dubitatio facile exoriri potest cum eadem vox diversa significatione ornatur si quantitas immutetur. Ne igitur in legendo ac loquendo dubiis praepediamini rem vobis gratam me facere arbitror sequentes versus offerens, quos ex libro «*De Institutione grammatica libri duo*», (Gandavi, 1832) excerpsi. — *Hos versus quis ex vobis hispanice rectius interpretabitur?*

*Est ācer in silvis: equus ācer Olympia vincit.*

*De cāne, cānē decane, cānis; non, cane decane,*

*De cane: de cānis, cane decane, canē.*

*Fert ancilla cōlum; penetrat res humida cōlum.*

*Si bonus esse cōmes vis, mores indue cōmes.*

*Bellandi cupīdo damno est sua saepe cupīdo.*

*Oblitus decōris violat praecepta decōris.*

*Vin' tibi dicamus, cui carmina nostra dicamus?*

*Solvere diffīdit nodum, qui diffīdit ense.*

*Claros esse dūces, quos mox in vincula dūces.*

*Edūcat hic catulos, ut mox edūcat in agros.*

*Ni sit nota fīdes, ignoto non bene fīdes.*

*Per quod quis peccat, per īdem punitur et īdem.*

*Difficilis lābor est, cujus sub pondere lābor.*

*In silvis lepōres, in verbis quaere lepōres.*

*Deceptura viros pingit mālā femina mālas.*

*Mālō mālum quodvis, mālum quam turbo refringat.*

*Māli mālā mālō faciunt mala maxima mundo.*

*Morio mōratur, quocumque sub axe mōratur.*

*Oblītus est caeno, sed non oblītus honoris.*

*Occīdit latro, verum sol occīdit almus.*

*Os, ōris, loquitur, sed ōs, ossis, roditur ore.*

*Gaudet uterque pārens, cum filius est bene pārens.*

*Pendēre vult iustus, non vult pendēre malignus.*

*Ludo pīla; pīlum petit hostes; pīla columna est.*

*Pro reti et regione plāga est, pro verberere plāga.*

*Plānus it in plano; plānus at non plana peragrat.*

*Pōpulus in silvis, pōpulus reperitur in urbe.*

*Dat prōpago merum; surgit de patre prōpago.*

*Raparum rāpina satus, raptusque rāpina.*

*Pluribus ille rēfert, quae non cognoscere rēfert.*

*Si qua sede sēdes et erit tibi commoda sēdes.*

*Illa sēdē sēdē; nec ab illa sede recede.*

*Juppiter est Siātor; siātor at mihi servus habetur.*

*Si transire vēlis maris undas, utere vēlis.*

*Merx nummis vēnit; vēnit huc aliunde profectus.*

*Vēnīmus besterna; ast hodierna luce vēnīmus*

# PALAESTRA LATINA

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 15 pesetarum in Hispania et Lusitania, 16 pes. in America et Philippinis insulis, et 17 pes. in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 1042

## De bibliotheca Horatii<sup>(1)</sup>

Ea carmina, quae Vates venusinus publici juris fecit, magnam partem spiritum et formam hellenicam manifestant. Saepe antea versus graecos legisse videtur, quibus ad carmina latina facienda statim inflammari et excitari posset. Plerumque sunt carmina, quae sententias poëtarum graecorum imitentur et lectoribus romanis vitam moresque graecorum verbis latinis ante oculos ponant. Odae quidem Horatium potissimum graecissantem aperte demonstrant, sermones autem et epistulae eundem plene romanum declarant, utpote quo in genere litterarum nonnulli scriptores romani ante Horatium eminuerint, quos Flaccus certe aemulaturus erat. Negari nequit poëtam in «sermonibus» quoque ab exemplis graecis, verbi gratia a Bione Borystheno, aliquatenus dependere. In quibusdam versibus affectus animi exprimit: amoris, amicitiae, rerum politicarum. Carmina autem, quae tantummodo ad sententias genuinas et cogitationes spectant, apud poëtam nostrum desunt, nam naturā mentis mere ratiocinantis expertus erat. Non adeo saepe natura ipsa describitur. Vinum in primis, illud elementum vehementissimum et poëticum laudatur. Tota poësis Horatii tam rhetorice ornata documento est poëtam Athenis ampliorem partem temporis rhetoribus quam philosophis audiendis tribuisse. Non multum philosophiae in versibus Flacci exspectare debemus, primo quod ipse parum in philosophia versatus erat, deinde quod illius amici non erant philosophi, postremo quod poëta sciebat lectores suorum versuum delectamenta dulcia, non impedimenta philosophica quaerere. Si ex carminibus ad studium philosophiae Athenis exactum concludi liceat, Horatius aut diligentia industriaque studendi magnopere carebat, aut ei indoles philosophica maxime exigua inerat aut doctores graeci magis verbis pulchris quam sententiis reconditis operam navabant. Poëta sectae Epicuri favebat, ejus philosophia minore ingenio ac ratione minus universali structa, quam aliae scholae, videbatur. «Epicuri de grege porcus» poëta ipse esse gloriabatur, quae nota indelebilis in Horatio semper haerebit. E Suetonii iudicio de Flacco effici potest poëtam ex Athenis reversum remissius philosophiam respexisse; biographus enim sic refert. «Horatius qui ad res venereas intemperantior traditur». Is vero,

(1) Cfr. fasc. superiorem 102, p. 268.

qui cupiditatem voluptatum non frenat, idoneus non est, qui saepe mentem ad altiores sententias eliciat. Dicitur illud notissimum: «Dulce et decorum est pro patria mori», non ex mente ipsius Horatii ortum, sed, ut ego animadverti, ex doctrina Epicuri ab epicureis romanis formatum et ex illorum scholis propagatum est. Paucae tamen sententiae ex Flacci versibus afferri possunt. Qui tamen illum omnibus locis commemorare solet, id solum ex juvenili quodam animo agit et magis locutiones floridas quam gnomas maxima auctoritate gravidas loquitur. Horatius doctrinis Epicuri non adeo penitus ut Lucretius assensit; sed uterque poeta affectus animorum praedicat et hymnis lumina mira in operibus poeticis affundit; reliqua autem utriusque pars quadam carminum duritie et argumentorum siccitate laborat. Horatius potius poeta urbis quam orbis terrarum fuit. Venusinus magnum orbem mente sua non circumscribebat, ejusque radii lyrici tam leves debilesque erant, ut solum paeninsulam Italiae, non tamen «oecumenen» illustrarent. Quia in maximo honore apud Imperatorem Augustum erat, historia romana Horatio gloriam immortalitatis conciliavit, quamquam poeta et princeps magis fortunae quam ingenii acumini laudes debebat. Re vera vates ultimus rei publicae romanae nimis laudatus est; neque enim ipsa carminum natura tantae praestantiae est, ut poeta laude omnium aetate dignetur. Tamen quia ab juvenibus poësis Horatii discitur, poeta nunquam veterascit neque senescit, quandoquidem senes memoria juventutis oblectati, versus Venusini repetunt superbiaeque juvenilis memores robur virium evanescentium versibus saltem redintegrare cupiunt. Nonnulla carmina sine dubio optima evaserunt; permulta autem meliorem prosam orationem non superant. Maximi momenti Horatius est tamquam fons historiae sui temporis; attamen temporum historia poetam artificem optimum nec facere debet neque potest. Necesse est hunc poetam sic intellegi atque aestimari, ut seipse carminibus manifestavit: non erat philosophus, sed lyricus, non homo spiritualis, sed sensualis; gloriae cupidus sperabat omnia sua scripta ab omnibus aequalibus et futuris hominibus eadem ratione judicatum iri atque ipse judicasset. Haec spes poetam fefellit; nam hominis naturam tantummodo sub eo affectuum aspectu consideravit et huic blanditus est; homo autem e duabus partibus constat: ex anima et corpore. Poësis lyrica et satirica concretas res describit; subtilia Horatius aut declinabat aut ignorabat. Neque Athenae neque Roma Horatium philosophum facere potuerunt. A rebus politicis desistere postremo prudentissimum esse sibi videbatur, quae res eum ad rationem Stoicorum appropinquat, qui λάθε βιώσας amabant. Poeta ruri natus et semper agresti ingenio philosophiae acutioris subtiliorisque expertus fuit. Horatius exemplar versuum, non exemplar vitae manebit.

EMIL ORTH

## De Lucretio et Vergilio et astrologia

1. Lucretius, poeta aequalis bellorum civilium romanorum, multa exercitia militaria conspexisse videtur; in libri secundi versibus II 40-43 describit hoc exercitium militum:

40 si non forte tuas legiones per loca campi  
41 fervere cum videas, belli simulacra cientis,  
42 subsidiis magnis *Epiri* constabilitas,  
42 a fervere cum videas classem lateque vagari  
43 ornatas armis *scafulas* pariterque animatas...

In versu 42 «Epiri» scribendum est pro «Epicuri»; regionis vox in philosophi nomen ex brevi scriptura Epir (cum hasta supra *r* litteram) falso mutata erat.

In versu 43 primo recte scriptum erat SCAFVLAS, deinde  
SCATVLAS, tum  
STĀTVLAS, denique  
STATVAS.

Illam formam «statuas» in margine paginae simul cum «ita» ante «statuas» stetit opinor, quae postea in textum ipsum recepta est. At tamen «scafulas» unica lectio hoc loco esse potest, ut ex Vegetii «epitoma rei militaris» patet; nam milites romani talibus scafulis uti solebant, quemadmodum Vegetius (ex recensione CAROLI LANG, Lipsiae 1885) p. 81, 5 et 165, 4, exponit.

Idem Vegetius in «epitoma rei militaris» I 28 (ed. C. LANG, p. 29, 12) testimonium maximum de «Epiris» affert ad Lucretii versum II 42: «Nonne Epiri armis plurimum aliquando valuerunt?»

De fontibus rei militaris antiquis Vegetii egit, Dankfried Schenk: *Flavius Vegetius Renatus, Die Quellen der Epitoma Rei Militaris*. Lipsiae, 1930.

Jam ad alium Lucretii versum accedamus: III 962, qui facile emendari potest.

961 nunc aliena tua tamen aetate omnia mitte  
962 aequo animoque aedum *magnis* concede, necessest.

Illud vocabulum «magnis» sensu caret, simpliciter corruptum ex «mancis». Hanc formam «mancis» scriba non jam intellexit et litteras *nc* in ordinem *cn* transposuit scribens «magnis». «Mancis» autem optime ad sententiam illorum versuum quadrat, «mancus» enim hominem aliquo modo rebus destitutum et ita debilitatum significat, ut egenus alicujus rei appareat. «Mancis» igitur idem est atque «egenus vel pauperibus hominibus».

2. Vergilius Euripidem legisse jure creditur; nam in Georgicis II 490 vates romanus hoc modo effatur:

«felix qui potuit rerum cognoscere causas»;

quae verba translationem metricam satis diligentem versuum Euripidis fr. 910 praebent, qui sic sonant: ὄλβιος ὅστις τῆς ἱστορίας ἔσχε μάθησιν, correspondent latina graecis hac ratione:

felix qui ὄλβιος ὅστις potuit ἔσχε  
cognoscere μάθησιν rerum causas τῆς ἱστορίας.

3. In «catalogo codicum *astrologorum* graecorum» tomi quinti (V) pars quarta (IV) (editionis STEPHANI WEINSTOCK, Bruxellis 1940) p. 170, 17 describit colorem planetae Veneris hoc modo:

Ἡ Ἀφροδίτη χροιάν ἔχει (desunt septem litterae) καὶ μαργαρωδή.

In illa lacuna ponendum est *λίπαράν*; nam «Epitheta deorum» quae collegit C. F. H. BRUCHMANN (Lipsiae, 1893) 65, exhibent hoc Veneris epitheton: *λίπαρός* quo poeta Anacreontus quidam usus est, cf. edidit TH. BERGK in «Anthologia Lyrica» (Lipsiae 1868) p. 421 carm. 20, 7.

EMIL ORTH

## EXPERGEFACTIO

ANTONIUS. — Heus, Michaël: Mane totum dormies? Non te pudet ad multam jam lucem stertere? Expergiscere, somniculose glis: Deo gratias et Mariae!

MICHAEL. — (*In lectulo se vertens ac situm mutans*) Procul, o procul esto, insolentissime: Somnum ego fere tota nocte oculis non vidi meis plenosque eos harenae mihi videor! Apage te a me!

ANTONIUS. — Surge velocius: sereno hodie caelo utemur ac luculento et omnia deambulationem inire suadent.

MICHAEL. — Tam multo mane? Quota est hora? (*Oscitans*).

ANTONIUS. — Propior est meridies quam aurora. Propera, festina. Hora est decima cum dimidia.

MICHAEL. — Quanam est tempestas? Caelum admodum pluvium videtur esse aut tenebricosum.

ANTONIUS. — Sile, tace, mussa, piger! Nullus unquam dies adeo serenus illuxit! Evigila, nugonum maxime!

MICHAEL. — Sed quo deambulatum ibimus? Tempus discessus absurdum est.

ANTONIUS. — Eja, age, rumpe moras! Dum eas neatis, tota abibit hora. Dum vita tibi superest, idoneam tempestatem nanciscemur nunquam ad iter faciendum. Ventus cecidit et vertit se in favonium.

MICHAEL. — Viderisne tibi praedicere posse quae caeli temperies hodie futura erit?

ANTONIUS. — Mira, ut nunquam alias. Sol non intermittet nitescere, ut arbi-

tror, quippe quod prima jam luce matutina nebula discussa est nec nulla usquam toto caelo nubecula conspicitur; zephyrus flat spiratque quam lenissimus. Thermometrum decem caloribus gradus indicat. Venisne mecum?

MICHAEL. — Fieri non potest. Erit igitur ingens calor et aestus. Sudabo, albedo et morbum necopinato contraham.

ANTONIUS. — (*Subiratus*) Mane apud te segnis homo! Dum talia moliris, annus est. Si placet, me sequere; ego in animum habeo exire domo.

MICHAEL. — Noli succensere, amice; si tam mira tempestas aridet, deambulare non recuse: sed pergamus.. Non te moror diutius.

ANTONIUS. — Desine jam loqui et surge; exspectare non possum amplius.

MICHAEL. — Fiet. (*Pandiculans membra*) Surgam tandem, quando ita obstinasti animo. Sed dato mal'luvium ut lavem; dein statim prodibimus, ne amittamus optimum, ut jaetas saepe, deambulandi tempus. Quanam ire cogitas?

ANTONIUS. — Exeamus extra urbem.

MICHAEL. — Perbelle! Ego hac tota hebdomada pedem porta non extuli.

ANTONIUS. — Nec mirum, si cottidie adeo arctissimo altissimoque somno consopiris nec a lecto, nisi clamando et tunendo evelleris a matre tua. Sed fac ut mente recondas illud: Ut famam acquiras, festinus desere lectum et: Non venit in molli veneranda scientia lecto...

RAIMUNDUS SARMIENTO C. M. F.

## Commercium epistulare

*Fr. Franciscus Xaverius a Virgine Carmeli, O. C. D.,  
R. P. Josepho Mir, C. M. F., sal.*

Jam priorem, ad te, PALAESTRAE Moderator, litteras dare cupiebam et exoptabam. Partim vero temporis caritate, partim autem onere laborum atque copia, etsi tanta flagrans cupiditate, huic rei vacare omnino prohibitus fui. Porro hodierna die, meis cotidianis curis munitisque relaxatis, tibi quam libentissime litteras scribo.

Sciebam quidem te, comem admodum atque humanum, amicorum epistulas semper in deliciis habuisse. Quod nullo negotio, illo in Commercio Epistulari mihi significabatur atque ostendebatur. At ego, qua tandem ratione amicus tuus et dici et appellari possum? Nulla sane. Tua tamen suavitas et benevolentia (cujus testes Avenulam tuam, ceteros profero) eae autem animi partes, ut vel timorem vel metum deponam, effecere. Audens, igitur, mea explicabo tibi et aperiam.

Ego (humilitatis pace dicam), juventibus superioribus, in erudiendis pueris studio atque juventute pro viribus alterum jamjam annum conficio. Litterarum autem latinarum amore, potius ardore seu furore dixeris, devictus, omnia quoquo modo Vergilianum sermonem redoletia, a pueris amplexatus sum. Itaque minime mirum est me maximopere hac PALAESTRA delectari, quam a quo tempore notam, omni studio omnique cura prosecutus sum. Quot, igitur, oblectamenta, quot utilitates, quot denique cognitiones et gaudia ab illa ephemeride, quae, ni rem nimis efferam, mihi pro pulvinari est, exhausti atque percepit! Jam vero pergratum, si in ejusdem pagellis nostra, licet forsitan lectu non digna, inserueris, et mihi et tironibus feceris.

Atque hodie, jocosam in latinum versa mittere volo, quae si quando typis mandentur pusionum scribentium erunt deliciae. Ego vero, priusquam meam epistolam absolvam, id ut hocce anno unum alterumve articulum (liceat verbum) de Beato Baptista Mantuano, latino poeta illustrissimo atque praeclaro, Carmelitici Instituti decore, me scribere patiaris, oro atque quaeso.

Mihi tanta flagitanti rescribas amabo.

Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo (II *Ti.* 4 22).

Pridie id. februaris. Villafrancae in Navarra.

*Jos, M.<sup>a</sup> Mir Fr. Fco. Xaverio a Virgine Carmeli s. pl.*

Summa afficio delectatione cum novi amici in nostram PALAESTRAM congre-diuntur. Estque profecto «Epistulare nostrum Commercium» aptissima ratio atque efficiens ut, quicumque studio et amore litterarum imbuuntur, deposito metu, ad nostras partes libenter accedant, armaque litteraria capiant, quibus strenue exercentur et alios —adulescentes in primis— edoceant viamque expediant.

Te igitur inter amicos numeramus cum alumnis tuis; atque eo, quo cepisti, studio et ardore perge ut in dies magis magisque litteras ames latinas easque impense foveas atque PALAESTRAM Fratribus et amicis ostendas ut eadem, quae tu,

et ipsi percipiant oblectamenta atque latinitatis studia et doctrinam. Discipulorum jocosa, uti vides, in his pagellis prodierunt, tuque, quae polliceris, scripta de Bto. Baptista, quae edantur, mitte. Morem tibi gerere benigne curabimus.

Plurimum in Dno. valet.

Barbaastro, pridie nonas martias.

## Epistolia soluta

M. M. · I · M. CET. (*Celsoe*). — Impigros vos video in studiis litterarum; eas amare pergite; Isidori numerus in dies perficitur et aures dulcius permulcet. Sales, aenigmata atque, ut videtis, PALAESTRAE inseruimus. Fausta vobis omnia.

P. AVENARIO (*Romae*). — *Andreana* tua maxime placuerunt et in primis sermo Pii Papae III. quo caput Sti. Andreae in Ponte Mulvio salutavit.. Adjuncta historica exquisita subtilitate investigasti nobisque tradidisti. Tibi grates. Memoriam nostri serva.

E. O. — Te librum P. Mendizábal tandem accepisse gaudeo. Amicorum incuriae ignoscere velis. Nescis quot Administratori miserim epistulas ut bina PALAESTRAE exemplaria ad te tradat.. Fasciculum m. junii aliosque recepisti? Scriptiones tuas — uti vides — continuo in PALAESTRA eduntur; in singulis fasciculis prostant; plures simul non semper edi poterunt; aliis quoque sociis spatium est tribuendum. Tibi obsequi nobis in deliciis est; curabimus.

FR. THOMAE (*Vallisoleti*). — Epistulam tuam et benevolentiam valde amo, et gaudeo ex PALAESTRA nostra te voluptatem percepisse Gyrum postalem accepimus, tibi quoque fasciculos quattuor annorum misimus.

FR CARRILLO (*Apud urbem Albacete*). — Silentium Alfonsi non miror cum

sanctis noviciatus claustris et exercitationibus retineatur. Illum Dominus in vocatione confirmet, opus suum perficiat, nobisque, qui PALAESTRAM ornet et litteras latinas, incolumen servet.

R. SARMIENTO (*Villae R.*) — Nihil de amico novum. Pervenit ad vos fasciculos PALAESTRAE LATINAE? Librorum, quos misisti, nuntios vides. Tibi et ego alios remittam. Ex volumine tuo quaedam excersi dum alia mittis.

### QUAESTIONES

P. L. — *Quo modo latine redderem locutio hispanica mi querido padre, carísimo p. Rectene usurparem «amate, dilecte pater»?*

— Mellius vertes: *pater optime, carissimè, mi pater; amatus et dilectus* hac significatione apud classicos scriptores non inventes.

D. PROF. — *Quidam alumnus locutionem traducir al pie de la letra vertit (reddere verbo tenus): estne latine locutus?*

— Minime vero, sed dicendum: «ad verbum convertere, transferre, verbum e verbo exprimere» (CIC. *De fin.* 1, 2, 4) «verbum pro verbo reddere» (*De opt. gen. or.* 5, 14). «eisdem verbis (vel ad verbum) reddere» (*Brut.* 88, 301) Atque *traducir del latín al español*: «ex latino in hispanicum [sermonem] convertere, vertere, transferre» (cfr. CIC. *De off.* 2, 24, 87; *Liv.* 25, 39, 12; *Quintil.* 1, 6, 3).

J. M.



## ANDREANA

Hoc loco fortasse non inutile fuerit in memoriam revocare fuisse Palaeologos nobilissimam familiam Constantinopolitanam, eosque imperio praefuisse Constantinopoli ab anno 1261 1453, quo anno Mohamedus II illam urbem est ingressus. Ejusdem familiae progenies regnabat in Peloponneso ab anno 1383 ad annum 1460; nam hoc anno, ut diximus, Thomas Palaeologus Romam venit, homo natus annos 56, egregia decorus forma et sedatis moribus. Salutatur a Pio in Consistorio, eidem victum praebuit et domicilium in palatio vicino ecclesiae Quatuor Coronatorum, dominica quae «Laetare» dicitur eundem aurea rosa donavit, pensionemque ei curavit annuam solidorum milium senam. Frustra a compluribus civitatibus petito auxilio —et commendaverat rem ejus majorem in modum Pius— ut vidit amissionem dominationis suae fore perpetuam, insanabili aegrotare coepit tristitia. Postremo vitam pontificia sustentatam stirpe terminavit in valetudinario S. Spiritus mense majo anni 1465. Reliquit filiam Helenam nomine, reginam Serviae, quae mortua est anno 1474 in quodam coenobio insulae Leucadiae, alteram filiam Zoen, Andream et Manuelem filios, Manuel reversus Constantinopolim factusque Mahumedanus pensionibus vixit Portae, Andreas a Pontifice agnitus titularis Morae despota, remansit Romae, in matrimonium duxit magno cum damno existimationis suae feminam turpissimae famae, neque a Gallis neque a Neapolitanis impetravit, ut se adjuvarent ad recuperandam Peloponnesum. Mortuus est in miseris anno 1502 Ferdinando Catholico et Isabella Castiliae scriptis heredibus regni sui. Zoe Romae vixit in tutela Bessarionis Cardinalis, quoad a Pontifice dotata anno 1472 nupsit Ivano III, magno principi Russiae, et suae deinceps filiae Helenae reliquit quidquid stirpi suae mansisset juris dominandi in Romaeorum imperio. Palaeologorum omnium ultimus fuit Joannes Antonius Lascaris princeps, qui anno 1874 Taurini diem clausit supremum.

Interea Osmani multa alia loca et regna Romaea occupant aut se occupaturos minitantur. Ceciderat Sinope principatus, ceciderat Trapezuntium imperium; Charlotta Lusignana, regina Cypri, anno 1461 ad Summum Pontificem auxilium implorans fugit. Et Pius quidem non destitit evocare principes populorum, ut viribus conjunctis rem Christi simul cum sua salute defenderent; qui incredibili socordia atque ignavia satisfecisse officio suo videbantur, si suorum aucuparent commoda finium et familiarum. Nihil Pius reliquit intentatum. Jam anno 1461 conscripsit tractatum, quo sultanum invitabat ad amplectendam doctrinam Christi; tamen incertum est perveneritne documentum in sultani manus, necne. Et in sanctam hebdomadam anni 1462 indixit sollemnem translationem capitis S. Andreae Apostoli, quae sollemnitas praeterquam quod insolita habitura esset pompae spectacula, cum proposita etiam jubilaei indulgentia esset, incredibilem multitudinem non tantum ex Italia, verum etiam ex Germania, ex Gallia, ex Hungaria attraxerat.

Tres Cardinales missi Narniam sacrum caput allatum: Bessarion, Oliva, Pic-

colomius, Pontificis ex sorore nepos. In pratis ponti Mulvio propinquis satis amplum et altum βήμα vel suggestum compactum est, in quod ascendebatur utrimque, ex latere fluminis et ex latere converso urbi. Viae sternebantur floribus, odoratis herbis, tapetibus, proceres urbis et Cardinales sua decoraverant certatim palatia, ante fores ecclesiarum ponebantur quae in eis asservabantur reliquiae ceteraeque res pretiosae.

Tres illi Cardinales ipsa dominica palmarum, quae eo anno fuit III idus aprilis Romam pervenerunt. Postridie ipse Pontifex cum Cardinalibus et praelatis omnibus, cum legatis qui Romae aderant principum et cum nobilibus urbis ad pontem Mulvium exiit. Quo cum ventum esset Pius ascendit ex latere urbis in suggestum, quod diximus, tres cardinales ascendunt ex latere fluminis. In persona Bessarionis, cardinalis orientalium, Graecia successori Petri fratris Petri caput exhibuit. Et Bessarion quidem barba habituque decorus obortis prae commotione animi lacrimis munere functus est suo. Pius venerabundus procumbens sacrum suscepit verticem collocatumque in ara madidis oculis, demisso pallentique vultu et tremula voce his adfatus est verbis: «Adveniisti tandem, o sacratissimum et odoratissimum sancti Apostoli caput. Turcarum te tua sede furor expulit. Ad fratrem tuum, Apostolorum principem, confugisti exsulans. Non deerit germanus tuus tibi: restitueris in solio tuo cum gloria volente Domino; licebitque aliquando dicere: o felix exsilium, quod tale repperit auxilium! Interea temporis cum tuo germano aliquamdiu commoraberis et pari honore cum eo poteris. Haec est alma Roma, quam prope cernis, pretioso tui germani sanguine dedicata: hanc plebem, quae circumstat, beatus Petrus Apostolus, frater tuus pientissimus, et cum eo vas electionis S. Paulus Christo Domino regeneravit. Nepotes tui ex fratre Romani omnes te velut patrum patrumque suum venerantur, colunt, observant, et tuo se uti patrocínio in conspectu magni Dei non dubitant. O beatissime Apostole Andrea, veritatis praedicator, et assertor Trinitatis eximie, quanto nos hodie gaudio replet, dum verticem hunc tuum sacrum venerandum coram aspicimus, qui dignus fuit, in quo visibiliter sub ignis specie in die Pentecostes sanctus resideret Paracletus. O vos qui Hierosolimam petitis ob reverentiam Salvatoris visuri locum ubi pedes ejus steterunt, ecce sedem Sancti Spiritus, ecce divinitatis solium! Hic, hic consedit Spiritus Domini, hic tertia in Trinitate persona visa est, hic oculi fuerunt, qui saepe Dominum in carne viderunt, hoc os saepe Christum est allocutum, has genas non est dubium quin saepe Jesus fuerit osculatus. En magnum sacrarium, en caritas, en pietas, en animae dulcedo, en consolatio spiritus! Et quis est, cujus viscera non commoveantur? cujus non ardeant intima cordis? cui non excidant prae laetitia lacrimae in conspectu tam pretiosarum Apostoli reliquiarum? Gaudemus, exultamus, jubilamus adventu tuo, divinissime Apostole Andrea; neque enim dubitamus, quin capitis tui comes adsis et cum eo urbem ingrediaris.

Odimus Turcas Christianae religionis hostes; in hoc non odimus, quod tui adventus causa fuerunt. Nam quid nobis optatius contingere potuit, quam tuum hoc honoratissimum intueri caput? ejus fragrantissimo perfundi odore? Id molestum

est, quod adventanti tibi non eos honores impendimus, quos mereris, nec te possumus pro tua excellenti sanctimonia digne suscipere. Sed accipe voluntatem nostram atque aequo animo patere quod pollutis manibus tua contrectamus ossa et te peccatores intra moenia comitamur Urbis. Ingredere sanctam civitatem et esto propitius Romano populo; sit omnibus Christianis salutaris tuus adventus, sit pacificus ingressus tuus, sit felix faustaque tua nobiscum mora. Esto noster advocatus in caelo, et una cum beatis Apostolis Petro et Paulo hanc urbem conserva et universo populo Christiano pie consule, ut vestris patrocinii fiat misericordia Dei super nos, et, si qua est ejus indignatio propter peccata nostra, quae multa sunt, transeat ad impios Turcas et ad nationes barbaras, quae Christum Dominum contemnunt».

Tum qui propinqui adstiterunt osculati sunt caput et Pius acceptum circumtulit per totum suggestum, ut populo esset videndi facultas. Postea Deum precatus est oratione in haec concepta verba: «Omnipotens sempiternae Deus, qui caeleste simul et terrenum moderaris imperium, quique nos hodie beati Andreae Apostoli tui pretiosi capitis accessione consolari dignatus es: tribue quaesumus, ut ejus meritis et intercessione perfidae Turcarum gentis attrita superbia et omnium infidelium sublata molestia, Christianus populus secura tibi serviat libertate. Per Christum Dominum nostrum». Et omnes responderunt: Amen.

Allocutionem autem Pontificis sic quidam exceperunt, ut postea ex memoria recitarent. Sed nemo perfectius quam Theodorus, Feltrensis episcopus; nam is totam illam orationem ad verbum perscriptam Pontifici obtulit, qui non potuit non admirari tantam viri memoriam.

Romae.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.  
(sequar)

## Sanctae Clarae Assisiensis Laus

### IV

*Frondet puella candida  
Ceu mane nascens flosculus;  
Viget, triumphat, cursitat,  
Domo in paterna labilis.  
Delectat illam ludere,  
Ludis tamen non noxiis;  
Oberrat horti tramites,  
Aurasque captat vividas.  
Fluentis inde limpidos  
Rivi lapillos colligit;  
Rosasque carpit roridas,  
Sibi pares coloribus.*

*Sequitur agnos pascuis  
Lanis retortis bellulos;  
Circumque se volantibus  
Cibum columbis dividit.  
At inter haec puellula  
Non pigra discit litteras;  
Discit tabellas pingere,  
Aeu laborat affabre.  
In ejus albo pectore,  
Velut feraci in hortulo;  
Virtutis almae semina  
Tenella mater inserit.  
Docet manus intexere,*

*Caelum tueri providum,  
Amare Jesum parvulum,  
Amare puram Virginem.  
Sic illa claret integra  
Suavique pulchritudine,  
Ut angelum spectabilem  
Credas, carentem pennulis.*

V

*Senos bis annos praeterit,  
Vernatque lectis gratiis.  
Sed ecce mutans pristinam  
Mentem, videtur altera.  
Non sicut olim garrula,  
Canorus ut passerculus,  
Domus vel hortorum angulos  
Nunc voce acuta personat.  
Aetatis aetæ neniae  
Non jam placent juvenulae;  
Formas adeptam virginis  
Graviores poscunt virginem.  
Aedes tacens perambulat,  
Petitque solitudines;  
Suffusa pulchrum saepius  
Rubore vultum cernitur.  
Quid illa secum cogitat?  
Quid mente volvit intima?  
Celare quidnam nititur  
Alto repositum pectore?  
Favete linguis: protinus,  
Tuba insonante gentium,  
Ferentur alta ad sidera  
Quae virgo gessit strenua.*


VI

*Perfusa diva gratia  
Ex matris alvo, non secus*

*Electa Christi ad nuptias;  
Adbuc sed ipsa postmodum  
Quid sit futura nescia;  
Imis Deum suspiriis  
Precibusque cogit sedulis  
Monstrare vitae tramitem  
Qua tuta possit pergere.  
Tum vox benigna desuper  
Perlata ad ipsam dicitur:  
Dies docebit proxima  
Actura quid sis postea.  
Fac inter haec custodias  
A sordibus cor liberum  
Istius atri saeculi.  
O vox Dei dulcissima!  
O verba caeli lucida!  
Cor anxium quae temperant,  
Mentisque tergunt nubila.  
Rebus novum nunc ordinem  
Suis parat: nam negligit  
Fortasse quae dilexerat.  
Huc usque: pulchra scilicet,  
Quaecumque sint, monilia,  
Vestis gemmis fulgidas,  
Captare laudes blandulus,  
Hujus modi vel cetera,  
Cor feminae quae mulceant.  
Subinde flammam in Deum,  
Deique Matrem candidam,  
Ciere pergit acrius,  
Ducente Dio flamine  
Ferventis orsa virginis.  
Sic in paternis aedibus  
Mores sacros induens,  
Divina prorsus appetit;  
Fuitque visa saeculo  
Vale supremum dicere.*

JOSEPHUS ANTONIUS URQUIOLA, O. F. M.  
(sequar)

# NOVA ET VETERA



PICTURA 15.<sup>a</sup>

## MARE - PORTUS

1. — Aestate, dum alii in montibus quietem et aurae refrigerationem quaerunt, alii ad ora maritima se conferre malunt. Quod et nos proximo superiore anno perfecimus, cum oceanus<sup>1</sup> plurimum nos delectet.

2. — Quod ad me attinet, summum percipio gaudium illud immensum aquarum agmen contemplans quod usque ad caeli circulum<sup>2</sup> explicatur, atque ingentes vaporinaves in productam navigationem proficisci videns, quas, Americam petentes, conscendunt.

3. — Quapropter pater, qui studia intellegit mea —feriandi causa—, parvulam semper elegit eamque tranquillam oram, ad magnum bellicum portum, sitam.

4. — In superiore nostra commoratione, classis in ancoris pone ingentem aggerem<sup>4</sup> constiterat qui quidem claudit munitque portum<sup>3</sup> militare, atque plura bellica navigia commode perspexi, a minusculo submarino<sup>5</sup> quod demergitur et in aquis subducitur ad ingentem loricatam<sup>6</sup> quae, etiam nunc torpedariae navis<sup>8</sup> incursiones tantum pertimescebat.

5. — Haec autem sollertissime tenuiorem crassae loricae metallicae partem de-  
tegere novit ut in eam horrendam torpedinem impingat, cujus displosio navigio est  
exitio; sed haud formidanda est ut submarinum, cum insectantes-torpedariae eam  
[torpedariam] faciliter persequantur.

6. — Celoces-aeratas<sup>6</sup> concitatas etiam vidi loricā munitas — quae ut loricatae  
fere sunt invulnerabiles—, aliquot onerarias,<sup>12</sup> tres quattuorve tormentarias<sup>7</sup> atque  
liburnicam.<sup>11</sup> Hujus classis spectaculum cum accingitur ut ancoras solvat, jucun-  
dissimum est.

7. — Quod vero exstructionis discrimen inter has aeris ingentes moles interest  
et elegantes trium malorum naves aut celeres veliferas<sup>13</sup> — adhuc in re nautica  
mercatoria in usu—, quas portum subire videbam, passis omnibus velis, cum ad  
crepidinem<sup>14</sup> deambularem. Hae nihilominus [naves], cum ventus adversus erat,  
plura ex commodis amittebant. Omnia vela, ut in navalibus convenirent, contrahe-  
bant atque opus erat ut remulcus eas prehenderet ut in aggerem quasi tenues pon-  
tones<sup>17</sup> deportaret.

8. — Quod autem portui, de quo loquor, jucunditatem confert est illum non  
tantum portum bellicum magnis laboribus artificiose aedificatum, continere, sed  
etiam mirum mercatorium portum, ad magni fluminis ostium, positum.

9. — Fauces, quae duo navalia dividunt, munimentorum atque propugnaculo-  
rum serie, quae in mare prominent, firmatae atque communitae sunt. Venia opus est  
singulari ut per propugnacula<sup>15</sup> deambules. Eam nullo labore per patrum, qui  
officinarum navalium<sup>18</sup> machinator est, impetraveram atque saepius ad videnda na-  
vigia conveni, quae in amplis receptaculis construuntur.

10. — Praeterea loricatae in aquam deductioni adfui atque permotionis mo-  
mentum recordor qua perstricta est turba, cum ingens moles, suae fortunae permis-  
sa, delābi coepit atque in fluminis aquis fluctuari.

11. — Ut in navalia pergas opus est ut locus exercitiorum<sup>19</sup> percurras, quo  
praesidii copiae cottidie ad exercitium ludendum conveniunt, atque ponticulus<sup>20</sup>  
ferreus trajiciendus est qui Campum Martium cum armentario<sup>21</sup>, conjungit.

12. — Cum patruo illam amplam sedem invisit tormentis,<sup>22</sup> granatis,<sup>23</sup> py-  
robolisque cumulatam. Metallorum quoque fabricam<sup>24</sup>, ubi vaporinavium calda-  
ria<sup>25</sup> construuntur, vidi.

13. — Proxime navalia<sup>26</sup> et mirandae moles fluitantes<sup>27</sup> adstant, in quibus he-  
licem,<sup>28</sup> carinam,<sup>29</sup> navis gubernaculum<sup>30</sup> propius inspexi, in navi quae reficiebatur.

14. — Portus mercatorius adeo jucundus est cognitu ut bellicus, et plures ho-  
ras, in molibus cessans, consumpsi, ubi rotatae naves deligatae sunt, quae adversum  
flumen subeunt, atque tollenonem<sup>31</sup> ad naves malis instruendas — qui ingentia one-  
ra ut pennas attollebat — moveri perspexi.

(sequar)

## VOCABULARIUM

- aurae refrigeratio, *fresco*, fraîcheur.  
 agmen aquarum, *inmensidad de agua*, immense nappe d'eau.  
 2 caeli circulus, *horizonte*, horizon.  
 3\* vaporināvis, is (navis vaporaria), *buque de vapor*, bateau à vapeur.  
 navigatio, onis, *travesía*, traversée.  
 consistere in ancoris, *fondear*, jeter l'ancre.  
 4 agger, ēris, m., moles, is, f., *digue*, *muelle*, di-gue, quai.  
 10\* submarinum (navigium), *submarino*, sous-marin.  
 subduci (in aquis), *desaparecer*, disparaître.  
 9\* loricata (navis), *acorazado*, cuirassé.  
 8\* torpedaria (navis) *torpedero*, torpilleur.  
 \* torpedo, inis, f., *torpedo*, torpille.  
 + displosio, onis, f., *explosión*.  
 \* insectans torpedaria, *contra-torpedero*, contra torpilleur.  
 6\* celox-aerata, *crucero*, croiseur.  
 12 oneraria, ae, *transporte*, transport.  
 7+ tormentaria (navis), *cañonero*, canonnière.  
 11+ liburnīca, ae, *fragata*, frégate.  
 solvere ancoras, *zarpas*, lever l'ancre.  
 13 velifera (navis), *velero*, voilier.  
 14 crepido, inis, f., *muelle*, jetée.  
 navalia, ium, m. pl., *dársena*, *astillero*, bassin, chantier.  
 16 remulcus (navis tractoria), *remolcador*, remor-queur.  
 17 ponto, onis, m., *balana*, chaland.  
 ostium, ii, n., *desembocadura*, embouchure.  
 fauces, ium, pl. f., *lengua de tierra*.  
 munimentum, i, n., *batería*, batterie.  
 15 propugnaculum, i, n., *bastión*, fortificación, bastion.  
 machinator (artifex), *ingeniero*, ingénieur.  
 18+ officina navalis, *astillero de construcción*, chantier de construction.  
 + receptaculum, i, n., *bangar*, cobertizo, hangar.  
 + deductio, onis, f., *operación de botar*, lancement.  
 permitti suae fortunae, *ser abandonado a sí mismo*.  
 fluctuari, *flotar*, flotter.  
 19 exercitium, ii, n., *maniobra*, manœuvre.  
 praesidium, ii, n., *guarnición*, garnison.  
 ludere exercitium, *hacer ejercicio*, faire l'exercice.  
 20 ponticulus, i, n., *puentecillo*, passerelle.  
 21 armamentarium, ii, n., *arsenal*, arsenal.  
 22+ tormentum, i, n., *cañón*, canon.  
 23+ granata, ae, *bala de cañón*, boulet.  
 \*pyrobōlus, i, *obús*, obus.  
 24 fabrica metallorum, *fábrica metalúrgica*, usine métallurgique.  
 25 caldarium, ii, n., *caldera*, chaudière.  
 27+ moles fluitantes, *diques de carena*, docks flottants  
 28 helix, icis, f., *bélice*, hélice.  
 29 carīna, ae, *quilla*, quille.  
 cessare, *bolgar*, flâner.  
 deligari, *estar amarrado*, être amarré.  
 + navis rotata, *barco de ruedas*, bateaux à aubes.  
 32+ tollēno ad naves malis instruendas, *grúa de arbolar*, grue à mâter.

*Antonius Philippo suo sal.*

Jam diu est cum litteras tuas — quas ayide semper lego — non accepi. Cum vero hodie mirificum portum demirari mihi contigerit, rei novitate permotus, tibi enarrare exopto. Patrem comitatus primo mane, portum convenimus.

Classis in ancoris prope aggerem constiterat, ad quem accedens bellica navigia commode perspexit; ibi erant minusculum submarinum, ingens loricata, torpedaria navis, celoces aeratae, onera-

riae, tormentariae liburnicae, veliferae... Dicam aperte, navigia nunquam videram, fuitque mihi summae voluptati ingentes naves procedentes ac recedentes atque militares incursiones simulantes contemplari. Sed et animo angorem percepi, mala, quae ex his formidolosis machinis hominibus impendeant, recogitans.

Verum, plura alia in proximum fasciculum.

Vale.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

# Compositiones vertendae

## I. — PRO ALUMNIS MEDIIS

### ANIMO INEXPUGNABLE DE C. FABRICIO

Cum Pyrrhus pro redimendis captivis (1) multum auri misisset, aurum quidem non accepit Fabricius. Postridie vero Pyrrhus maximum elephantum emisit qui (2) ignaro Fabricio a tergo subito barriens (3) appareret. Id ubi factum est, respiciens (4) Fabricius ac ridens: «M:; inquit, nec aurum heri nec hodie belua fecit attonitum» (5).

Sentiens Pyrrhum hoc de industria egisse, ut, quoniam auro bonisque verbis deleniri (6) non poterat, immani voce beluae terreretur.

NOTAS: 1. *Pro redimendis captivis*: para el rescate de los prisioneros. — 2. Nótese cómo el relativo desempeña las veces de la conjunción: *qui* por *ut*. — 3. *Barriens*: denominación específica de la voz del

elefante. — 4. *Respiciens*: volviendo la vista. — 5. *Attonitum facere aliquem*: sorprender, admirar a alguno. — 6. *Deleniri*: ablandar, seducir.

## II. — PRO ALUMNIS SUPERIORIBUS

### PRINCIPIOS DE LA LITERATURA LATINA (III)

Las letras romanas (1) cuanto más rápidamente crecieron (2) tanto más presto caminaron a la vejez (3), puesto que (4) de los contemporáneos (5) de Tácito alguno (6) había visto los últimos días (7) de Cicerón. Pero la literatura griega creció (8) lentamente y por sí misma (9) de manera que (10) nada o muy poco (11) fué ayudada (12) de los egipcios y de los fenicios (13). Pero en cambio (14) duró (15) más que ninguna otra literatura jamás (16). Porque si miramos (17) tan sólo el tiempo (18) que va (19) de Homero a Alejandro, son ya más de (seis siglos) seiscientos años de gloria (20).

NOTAS: 1. \* *litterae latinae, romanorum litterae, no romanae*. — 2. *adolescere*. — 3. *consensescere, senescere; vergere in senium* es poético. — 4. *si quidem*. — 5. *aequalis*. — 6. *Non nemo*. — 7. *extrema aetatis*. — 8. *crescere, procedere*. — 9. \* *sua sponte*. — 10. *ut*. — 11. \* *nihil aut non multum*. — 12. *adjumento uti alicujus*. — 13. *phoenices, um no phoenicii*. — 14. *At*. — 15. — *vigere*. — 16. *unquam*. — 17. *respicere*. — 18. \* *tantum temporis, quantum*. — 19. *interesse inter*. — 20. \* *anni plus (quam) sexcenti, iique ad gloriam iusignes*.

bién *litterae romanae* (QUINTIL. 10, 1, 123). — 9. \* Se dice propiamente de las personas, puede también usarse metafóricamente de las cosas. — 11. \* *aut nihil aut non multum adjumento ullo indigeret*. CIC. *De fin.* 5, 21, 59. *Nihil aut parum* indicaría que no hay lo que se necesita para una cosa. — 18. \* *Tantum, quantum* tiene sentido limitativo (= tan sólo lo poco que) *atolius rationis ignari tantum, quantum ingenio et cogitatione poterant, consequebantur*. CIC. *De orat.* 1, 4, 14. — 20. \* El latín para dar más fuerza al adjetivo, lo une a veces con el sustantivo mediante *et is, isque, nec is, neque is; unam rem explicabo eamque maximam*. CIC. *De fin.* 1, 20, 65. — 20. \* *Ad* tiene aquí el sentido de *por lo que se refiere a: «faciam id quod est ad severitatem lenius»* CIC. *Catil.* 1, 5, 12

NOTAS DE ESTILO: 1. \* *Damnum enim illius immaturo interitu res romanae (= la república de Roma) latinaeque litterae (= cultura romana) fecerunt*. CIC. *Brut.* 33 125. Los escritores posteriores dicen tam-



(IV). — Pero acerca (21) de la cultura romana (22) débese notar (23) también que en (24) todos los pueblos la literatura comienza (25) por la poesía (26); puesto que vemos que sucede en la infancia de los pueblos (27), lo mismo que en la infancia de los individuos (28), que la fantasía prevalece sobre la razón (29); y por eso (30) suelen al principio producir sin esfuerzo (31) cantos (32) líricos y épicos con los cuales representan al vivo (33) sus sentimientos (34). Los otros (35) géneros de poesía en los cuales prevalecen el estudio y la reflexión (36) como (37) la poesía (38) dramática y didascálica aparecen (39) más tarde y en edad madura (40).

NOTAS: 21. *in c. ablat.* — 22. *eruditio ac doctrina romanorum, no romana.* cfr. III, 1. — 23. *illud animadvertendum mihi videtur quod.* — 24. *apud.* — 25.\* *initia litterarum proficisci.* — 26.\* *poetae.* — 27.\* *initia populorum.* — 28. *primae puerorum aetatulae.* — 29. *mentis celeritate magis quam cogitatione uti.* — 30. *igitur.* — 31. *fundere ex tempore.* — 32. *carmen, inis* — 33.\* *effingere et exprimere.* — 34. *animorum permotiones.* — 35.\* *cetera, reliqua.* — 36. *in quibus aut doctrina major inest aut prudentia.* — 37. *ut repetido* delante de cada término. — 38. *poëma.* — 39. *provenire.* — 40. *serius et confirmatis jam aetatibus.*

NOTAS DE ESTILO: 25.\* Los romanos con frase más general que la nuestra suelen decir no que la cosa trae su origen, sino que la cosa, la causa, el principio se derivan de otros: «Non enim a me.

*sed ab illis principium belli certum est.* (LIV 32. 34. 7) la guerra precedió de... — 26.\* concreto lat. pl. por abstracto esp., frecuente en latín: «totos se alii ad poëtas (poesia), alii ad geometras (geometria), alii ad musicos (música) contulerunt». (CIC. *De orat.* 3, 15, 58) — 27.\* Para la construcción de la frase, cfr.: «Hoc idem in nostris contingere intellego, quod in graecis (contingit) ut...» (CIC. *Brut.* 31, 118). «Mihi quidem videtur idem fere accidere his qui ante meditantur quod his (accidit) quibus medetur dies...» (CIC. *Tusc.* 3, 24, 58). — 33.\* El latín usa muy frecuentemente dos verbos sinónimos en vez de un verbo y adverbio intensivo: *orare atque obsecrare*, rogar encarecidamente. — 35.\* *Cetera* significa oposición a otros términos; *reliqua*, los que quedan. — 37.\* In libero autem populo, *ut Rhodi, ut Athenis.* (*De republ.* 1, 31, 47).

## MARAVILLOSA APARICION QUE TUVO C. CESAR JUNTO AL RUBICON

Habiendo llegado C. César a orillas del río Rubicón (1) que señalaba el confín (2) de su provincia, detúvose algún espacio (3) y considerando la magnitud de su empresa (4), vuelto a los que le rodeaban, dijo: «Ahora todavía se nos concede término (5) para retroceder; mas si nos aventuramos a pasar (6) [aquel] puentecillo, todo lo habremos de confiar a las armas (7)». Y mientras permanecía vacilante (8) se le ofreció este prodigio (9): Un hombre de extraordinaria figura y corpulencia apareció de repente sentado por allí cerca tocando una flauta (10). Y como, además de los pastores, acudiesen también a escucharle muchos soldados de los cuerpos de guardia (11) y entre ellos igualmente (12) algunos trompeteros (13), arrebatando a uno el clarín, saltó al río, y comenzando a tocar a batalla a todo pulmón (14), se dirigió a la ribera opuesta (15).

Entonces gritó César: «Vamos (16) adonde nos llaman los prodigios de los dioses y la maldad de los enemigos. Está echada la suerte (17)». Y habiendo pasa-

do el ejército y hecho comparecer (18) a los tribunos de la plebe que, expulsados [de la curia] acababan de llegar inesperadamente (19), delante del pueblo (20) invocó llorando y rasgada la vestidura la fidelidad (21) de sus soldados.

NOTAS: 1. Riachuelo entre la Galla Cisalpina e Italia. El pasarlo en armas sin orden del Senado se consideraba como un acto hostil a la República. — 2. Empléese el verbo *sum*. — 3. *Paulum*. — 4. *Quantum* con *moliri*. — 5. *Possumus*. — 6. Trad. «si pasamos». — 7. *Agere armis*.

— 8. Usese «*cunctans*» en dat. — 9. *Ostentum*. — 10. *Harundine canere*. — 11. *Stationes*. — 12. *Et*. — 13. *Aeneatores*. — 14. *Ingenti spiritu classicum exordiri*. — 15. *Alter*. — 16. Const. en pasiva. — 17. *Alea, ae*. — 18. *Adhibere*. — 19. *Supervenire*. — 20. *Contio, onis*. — 21. *Fides, in*.

## BIBLIOGRAPHIA

LUIS LUCESOLE, Pbro. — *Floreillas*. — Caporaletti Hnos. 1944, Buenos Aires.

Parvus libellus, cujus descriptionem paucis complectemur. Carminum collectio quae demisso et illaborato dicendi modo colloquia Deum inter et animum et cum B. Virgine proferunt.

In eis neque reconditas cogitationes neque elegantiam litterarum invenies. Simpliciter omnia ac suaviter dicuntur. Namque ab amore magis genitae quam a vena, aures simul oblectatione quadam afficiunt, et in animos pergrata dulcedine illabuntur. P. Lucesole candida ac sincera simplicitate amorem Jesu et Mariae modulatur. Per cotidianum tamen sermonem, vir in litterarum maxime versatus studii ostenditur.

JESUS ASPA, C. M. F.

ALOYSIUS LUCESOLE — *Cantemus Domino*, Secunda Editio correctae et auctae. Bonis Auris, 1944.

Si tibi est, ut suspicor, ita prudens sincerumque iudicium ut nihil legere possis nisi incorruptum et elegans; magnopere te hortor, lector humanissime, ut hunc tam pulchrum tamque politum latinorum carminum libellum quamprimum studiose legas.

Est enim in eo sermonis elegantia condita rei pietas; itaque eum legens, et ejus propria amoenitate delectaberis, et,

quod homini christiano maxime consentaneum est, dulciorem erga Jesum amorem concipies.

Ad elegantiam quod attinet, tanta est in libello tum verborum tum loquendi rationum ex classicis praecipue vatibus excerptorum copia, ut ipse interdum Vergilium, non aetatis nostrae poetam, me legere existimarem.

Ceterum versus adeo perfecti sunt atque omnibus, ut ajunt, numeris absoluti, ut nihil aptius, nihil jucundius legi posse videatur.

Nos quidem auctori clare plaudimus et libellum, quantum possumus, lectoribus nostris commendamus.

ISIDORUS MAULEON, C. M. F.

RUFO MENDIZABAL, S. J. — *La Gramática Latina del bachiller*. — Mensajero del C. de Jesús. — Bilbao.

Pergratum nobis hoc obvenit opus, nuper in lucem editum a P. Mendizábal. Elaboratum quidem opus, atque studiosae latinitatis alumnis valde utile et acomodatum, in quo Auctor summa Morphologiae fastigia insecutus, Syntaxim tradit mira in sobrietate sollertia, maxime vero in ea, quae est praecipua operis mens, ut alumnos nempe in interpretandis classicis scriptoribus secure moderetur ac ducat.

In hoc opere, sobrie et lucide expla-

natum inveniet alium ius quiddam septem annis Bacchalaureatus Instituto- rum programma exigit.

Opus pleno exitu ornatum tam in methode et sobrietate, quam in novitate et ordine censemus. Consilium, laborem, opus enixe laudamus, et omnibus, praesertim vero hispanae juventuti latin- itatis studiosae, vehementer commen- damus.

J. M. COSCOJUELA, C. M. F.

M. A. DUMONT. — «*Les Rimas de G. A. Becquer*». — Collection Lebègue. Bru- xelles.

In varia atque modo jam copiosa *Lebègue* Collectione, editae sunt nuper Gustavi A. Becquer, quae dicuntur *Ri- mae*, ad gallicum translatae sermonem. Meritum ac laus sunt sane Mauricio A. Dumont auctori adscribenda, quod ad- tum tam multis ubique utentibus gallica lingua ad istum hispanum poetam ape- rirer — inter lyricos hispanos, ait J. Ce- jador, facile principem — quemque ex vetere tantum versione ejus comment- iarum narrationum cognoscebant galli.

Haec autem sedula est et diu perpo- lita interpretatio, et que rhythmum simul priorem et consonantiam studet appri- me servare. Eam ponderosa atque pers- picua antecedit cum de vita temporibus- que poetae, tum de ejusdem artis at selectis scriptis disquisitio, quae propter miram copiam valet etiam nos qui in hac Gustavi regione cis Pyrinaeos degi- mus ditare ac recreare.

HELLADIUS GARCÍA, C. M. F.

M. BASSOLS DE CLIMENT. — «*Cornelio Tá- cito: Historias, Libro Segundo*». — Edi- ción y comentario Consejo Superior de Investigaciones científicas. Clási- cos «Emerita», griegos y latinos, con notas — Barcelona, 1946 Pág. XXX, 250.

A carissimo magistro Dre. M. Bassols de Climent hunc alterum Historiarum

librum, in PALAESTRA LATINA vulgan- dum, grato animo accepimus.

Opus non est ut in auctoris laudes immoremur, quem omnes norunt qui- cumque in Hispania latinis litteris dant operam Ejusdem enim recentissima et notissima exstant opera (*Sintaxis Histó- rica de la lengua latina*, t. I Barcelona 1945; Tacito. *Historias*, libro I, Barcelo- na 1943).

Satis sit postquam hujus operis bre- vissimum conspectum proposuerimus, ipsius dotes momentumque innuere.

Pauca in prooemio praebet auctor de statu Urbis et de eventibus praecipuis, quae lectori ad rectam Taciti Historia- rum cognitionem conferant.

Textum deinde ex Mediceo II maxime depromptum nitidis signis chartaque op- tima, diligentí cura editum videbis. No- tulae quae ad calcem apponuntur aucto- ris ingenium, scientiam, rerumque cog- nitionem facile monstrant: neque lon- giores, ne fastidium pariant; neque bre- viores, ne Taciti difficultas fere integra remaneat.

Altero indice, quo clauditur opus, onomastico scilicet et de re grammatica, fit ut longas explanationes quae in no- tulis iteratae fastidirent simplici adno- tatione vitentur; immo et ipsius ope rectius Taciti locutiones et proprietates cognosci possunt.

Demum, cum gradus militiae resque militaris, tempore quo Tacitus *Historias* scripsit, alia fuerit ac quae vige- bat nobisque nota est ex classicis scriptoribus, breve tractatum de romano exercitu medio primo saeculo, optimo consilio rectoque iudicio redegit.

Quidni ergo gratulationes et plausus sincero corde auctori tribuamus cum de labore agatur difficillimo, diutino et, quantum patitur humana fragilitas, per- fecto; immo et apud nos hispanos, ne dicam utili, sed potius necessario?

JOSEPHUS JIMÉNEZ, C. M. F.

## CURIOSA ET JOCOSA

### 168. — IN BALNEO

RUDIS. — Vae nobis! hujus piscis in fauces venimus!

MAGISTER. — Noli timere, homines non aggreditur; est *Accentopterigius vulgaris*

RUDIS. — Certe, sed fortasse, quis ipsemet sit, non meminerit!

J. M.<sup>a</sup> COSCOJUELA, C. M. F.

*Celsonae*

### 169. — IN SCHOLA

MAGISTER. — Quinam sunt frigoris et caloris effectus?

PAULINUS. — Corpora dilatatur calor, frigus vero contrahit.

MAGISTER. — Scisne exemplum?

PAULINUS. — Aestuosae dies oblongae sunt, breves autem hiemales.

J. ROSSICH, C. M. F.

*Celsonae*

170. — Mulier quaedam, sollemnina, ut ajunt, semper insaniens, domi suae amicam tenerulam excepit. Dum vero utraque domina lubentissime, ut fit, conloqueretur, famula, nec petita nec accepta venia, in conclave festina ingreditur et:

— Quo, domina, inquit, more medium turturem apponam?

Mater autem familias rubore oppido suffusa post defluxam visitationem, diris vernaculam impudentissimam atque ineptissimam objurgavit et corripuit.

— In posterum, imperavit domina, lepores, gallinas, anates dicito, minime vero medium leporem, mediam gallinam, medium anatem dixeris.

At res infelix prorsusque miseranda! Eadem amicula, non multis diebus interjectis, hujus dominae domum visitationis causa petiuit. Coqua vero, plus

aequo heris sermone indulgentibus, ad eas accessit suaeque:

Quo tandem more boves coquam?

J. MARÍA DEL BARRIO

*Villafrancae, scholaris Carmelita*

171. — Custos quidam, cum Joannem in piscibus captandis, tempore interdicto deprehendisset:

— Nescisne, inquit, piscationem prohibitam esse?

Joannes vero: — Minime quidem nescio, at hanc rem non exerceo.

— Quid est tandem quod agis?

— Hos duos vermiculos natandi artem edoceo.

— Igitur et decem pissetis multaris, nudos namque doces.

ANTONIUS UNZUETA

*Villafrancae in Navarra, scholaris Carmelita*

172. — Quid fles, Johanelle?

— Quia hesterno die pater a deo me contudit ut femoralia scinderet; hodie vero mater quia discissa femoralia erant.

J. ARAMENDÍA, C. M. P.

*Barbastri*

173. — Quot hebdomas habet dies?

— Sex.

— Quomodo sex? Et dies dominicus?

— Hic non est hebdomadis dies, in scholam enim die dominico non pergitur.

GEORGIUS ALSINA, C. M. P.

*Barbastri*

MAGISTER. — Johannes quis Americam invenit?

JOHANNES. — ...?

M. — Dic, Jacobe.

JACOBUS. — Ego, Magister, non fui ..

R. SABIRÓN, C. M. P.

*Barbastri*